Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31632
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

victor i psalmus sup octava canticum David vi.

Domine ne in furore tuo arguas me: neq; in ira tua corripias me. Miserere mei domine quoniam infirmus sum ego. sana me domine quoniam conturbata sunt ossa mea. Et anima mea turbata est valde: et tu domine usq; quo? Revertere domine eripe animam meam. salua me propter misericordiam tuam. Quoniam non est in morte qui memor sit tui. in inferno autem quis confitebitur tibi? Laboraui in gemitu meo lauabo per singulas noctes lectum meum. lacrimis meis stratum meum rigabo. Caligauit prae amaritudine oculus meus. confusus est ab omnibus hostibus meis. Recedite a me omnes operantes iniquitatem. quia audiuit dominus uocem fletus mei. Audiuit dominus deprecationem meam. dominus orationem meam suscepit. Confundantur et conturbentur uehementer omnes inimici mei. reuertantur et confundantur subito. Pro notatione dauid quod cecinit domino super uerba ethiopis filii iemini vii.

Domine deus meus in te speraui. salua me ab omnibus persequentibus me et libera me. Ne forte capiat ut leo animam meam. dum esset et non sit qui eripiat. Domine deus meus si feci istud. si est iniquitas in manibus meis. si reddidi retribuentibus mihi mala. et decidi hostes meos uacuos. Persequatur inimicus animam meam et comprehendat. et conculcet in terra uitam meam. et gloriam meam in puluere collocet. Semper surge domine in furore tuo. elenare indignans super hostes meos. et consurge ad me in iudicio quod mandasti. Et congregatio populorum circumdet te. et propter eos in altum reuertere. Dominus iudicabit populos. iudica me domine secundum iustitiam meam. et secundum simplicitatem meam quae est in me. Consumatur malitia peccatorum et confirmetur iustus. probans corda et renes deus iustus. Clipeus meus in deo. qui saluat rectos corde. Deus iudex iustus et fortis. comminans tota die. Nonne reuertendi gladium suum acuet. arcum suum tendit et paratum illum. Et in ipso parauit uasa mortis. sagittas suas ad comburendum operatus est. Ecce parturiuit iniquitatem. et concepto dolore peperit iniquitatem. Lacum aperuit et effodit eum. et incidit in foueam quam operatus est. Reuertetur dolor eius in caput eius. et super uertice eius iniquitas eius descendet. Confitebor domino secundum iustitiam eius. et cantabo nomini domini altissimi. Victori pro torculis canticum dauid vii.